



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum in Christo fuerint duæ natiuitates.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

fructus arbori, vel embrio matri. Ratione primi dicuntur viuentia gigni, vel genita esse, ratione secundi dicuntur oriri, & istud etiam non conuenit inanimatis nisi secundum quandam similitudinem, sicut fol dicitur oriri in quantum exit de occulto ad manifestum. Ratione tertii dicuntur nasci: unde & nata dicuntur quasi adnata, id est coniuncta. Sic igitur natiuitas, vel nasci est generatio, vel generari in viuentibus.

6 H O C supposito dicendum est, quantum ad secundum quod nasci proprie conuenit personae tanquam illi qui nascitur, sed naturae conuenit tanquam illi quo nascitur. Et hoc patet tripliciter accipiendo nasci pro eo quod est generari. Primum sic, sicut se habet generare ad generationis principium, sic se habet generari ad generandi terminum, sed generationis principium, tanquam illud quod generat est suppositum, quia actiones sunt suppositorum. Natura autem est illud quo, vel cuius virtute suppositum generat. Sic enim generatio est opus naturae secundum Damascum, ergo similiter terminus generationis est suppositum, tanquam illud quod generatur. Natura autem est illud quo suppositum generationem terminat. Secundum sic, generatio est via ad esse ergo sicut conuenit alicui esse, ita & generari, sed suppositum proprie est, natura autem est illud quo suppositum est, ergo suppositum est id quod generatur, natura autem illud quo generatur. Tertio sic, sicut se habet diuina natura in filio ad generationem aeternam, ex patre, sic se habet natura humana in Christo ad generationem temporalem ex matre, sed natura diuina non est illud quod generatur ex patre, sed est id quo filius generationem terminat, ergo similiter natura humana in ipso non est quod generatur ex matre, sed est illud quo filius generationem terminat. Ex quo patet quod cum generari in viuentibus sit idem quod nasci, suppositum est illud quod nascitur. Sed natura est, est illud quo nascitur.

7 A D primum argumentum dicendum, quod denominatio motus & actionis est a termino, non autem a subiecto nisi ratione termini, & quia nasci est via ad naturam, ideo vnum ex altero denominatur quantum natura non sit illud quod nascitur, quia illud quod proprie nascitur non includit solum terminum, sed subiectum cum termino, vel aliquid se habens ad modum subiecti secundum nostrum modum intelligendi.

8 A D secundum dicendum, quod per temporalem natiuitatem Christi natura humana non accepit proprie esse, sed oppositum mediante natura. Propter quod proprie natura non dicitur nasci, sed suppositum ratione naturae.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum in Christo fuerint plures natiuitates.

Tho. 3. q. 35. ar. 2.

A D secundum sic proceditur. Et videtur quod in Christo non fuerint plures natiuitates, quia illa quae sunt diuersarum rationum non connumerantur, non enim bene dicitur quod canis celestis & terrestris sunt duo canes, sed natiuitas aeterna Christi, & temporalis non sunt vnus rationis, ergo non possunt dici duae natiuitates.

2 Item si in Christo essent duae natiuitates Christus posset bis dici natus, sed illud non potest dici, ergo nec aliud. Probatio minoris, quia ratione illius quod aduenit alicui post completum esse non potest dici aliquis natus, sicut homo non dicitur natus de nouo si adueniat ei capillus, sed humanitas aduenit filio Dei post completum esse, ergo ratione eius non potest dici natus.

3 I N contrarium est Damascus, lib. qui dicit quod confitemur Christi duas natiuitates, vnam quae ex patre aeternam. Aliam quae est in vltimis temporibus propter nos. Et beatus Aug. dicit quod Christus potest dici bis fuisse natus.

4 R E S P O N S I O. Dicenda sunt duo. Primum est, quod in Christo fuerint proprie duae natiuitates. Secundum est, quod propter duas natiuitates non potest dici proprie bis natus.

5 P R I M V M patet dupliciter. Primum sic, vtendo nomine generationis pro natiuitate, sicut prius, quia sicut se habet generatio actiue accepta ad generationis principium, sic se habet generatio passiuè accepta ad generationis terminum, sed generatio & vniuersaliter omnis actio

sequitur in vnitate, & pluralitate perfectum principium quod generans generat, & non suppositum quod generat: nam si forma quae sunt principium generationis, vel actionis sint plures, & suppositum vnum, actiones erunt plures, sicut eadem aqua per frigiditatem in frigidat, & per humiditatem humectat, si autem supposita sint plura, forma autem vna per quam agunt, actio erit vna, sicut pater & filius, vna spiratio ne spirant Spiritum sanctum, propter vnā vim spiratiuam quae est in eis, ergo similiter generatio passiuā magis sequitur in vnitate, & pluralitate, illud quo suppositum terminat generationem, scilicet naturam, quae ipsum suppositum, cum igitur in Christo sint duae naturae (scilicet diuina per generationem aeternā acquisita, & humana per temporalem.) Patet igitur quod generatio Christi aeterna, & temporalis est duplex, & non vna, qualibet autem habet rationem natiuitatis cum sit in natura viuentis, ergo in Christo fuerunt duae natiuitates. Secundum sic, nullus dicitur filius alterius nisi ratione alicuius natiuitatis, sed Christus dicitur filius Dei patris, & virginis matris, ergo vtrunq; est secundum aliquam natiuitatem, sed secundum aeternam natiuitatem, quae ex patre est, non potest dici filius matris, ergo secundum aliquam natiuitatem, & sic erant plures.

6 S E C V N D V M patet, scilicet quod non potest proprie bis dici natus, quia bis dicitur proprie numerationem actus per interruptionem mensurae: sed duae natiuitates Christi non numerantur per interruptionem mensurae, ergo propter duas natiuitates non potest dici Christus proprie bis natus. Maior patet, quia cum actus numeretur tripliciter, scilicet ex subiecto: quia est in alio & alio subiecto: & ex terminis: quia est aliud & aliud quod agitur, & mensura: quia interpolatim agitur, hoc aduerbiū bis non dicit numerationem actus ex subiecto vel ex terminis, sed solum illam quae est per interruptionem mensurae: si enim duo legantur simul eundem librū, aut si duo libri simul legantur, liber non dicitur bis lectus, sed solum quando tempus interruptur: quia legitur diuersis horis: ergo hoc aduerbiū bis dicit solum numerationem actus quae est per interruptionem mensurae. Minor similiter patet, quia duae natiuitates Christi non numerantur per interruptionem mensurae: quia nec habent, nec habere possunt eandem mensuram, non interruptitur autem nisi quod natiuitas est esse vnum: quare patet quod Christus propter duplicem natiuitatem non potest dici proprie bis natus, sed quia non seruamus semper omnimodam proprietatem loquutionis potest largè loquendo dici, quod sicut Christus habuit duas natiuitates, sic fuit bis natus, & sic loquitur beatus Augustinus.

7 A D primum argumentum dicendum quod illa quae sunt diuersarum rationum quando sunt pure aequiuoca non connumerantur sub eodem nomine, sicut ponebatur exemplum de cane celesti & terrestri, sed quando sunt analogae connumerari possunt, bene enim dicitur quod sapientia diuina & humana sunt duae sapientiae, duae autem natiuitates Christi participant rationem natiuitatis analogae propter quod possunt adinuicem connumerari.

8 A D secundum dicendum, quod non sequitur si in Christo sunt duae natiuitates quod fuerit bis natus, quia bis dicitur numerum actus secundum interruptionem mensurae: quod non potest inueniri inter duas Christi natiuitates, vel concedatur largè loquendo. Et cum dicitur postea quod per illud non potest dici aliquis natus quod aduenit ei post esse completum. Dicendum quod verum est si illud non sit natura viuens, quia nasci non est nisi secundum naturam viuentem, vel dato quod sit natura viuēs si pertineat ad idem suppositum, sicut forte est de capillo respectu hominis qui se habet ad hominem, sicut planta ad terram ex qua trahit humorem, vel si pertineat non pertineat ad totum, sed ad partem, natura autem humana adueniens Christo est natura viuēs, & pertinet ad idem suppositum, & secundum totum. Propter quod secundum eam potest dici Christus natus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in Christo sint duae filiationes.

Tho. 3. q. 35. ar. 5.

A D tertium sic proceditur. Et videtur quod in Christo sint plures filiationes: quia relatio realis non potest aduenire alicui sine reali mutatione facta, secundum aliquid absolutum in ipso vel in altero, sed humana natura